



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio XLV. In Titul. XLV. De Reliquiis, Et Veneratione Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

Decif. 254. n. 15. in fine, & pluribus, quos refert Fatin. in prax. crimin. g. 72. n. 62.

3634 Not. 4. ex Gonzalez c. 1. h. t. n. 3. ea verba, quæ sequuntur in præfenti rubrica, & aliorum Sacramentorum, accipienda esse improprie, & in lata acceptione pro oleo extrema unctionis, & rebus, quæ Sacramentorum usibus deputata sunt, de quibus in cap. 2. *Chrisma* enim, *oleum*, & similia Sacramenta non sunt, cum non persistant, nec dentur in permanendo, sed tantum Sacramentalia, vel rectius materia Sacramenti remota.

3635 In c. *Relinqui*, ult. h. t. agitur de decencia, & munditie servanda 1. in Ecclesia, 2. in vasis ministerii, vestimentis ministrorum, pallis Altarium, corporalibus, & reliquis ad Sacra in Ecclesiis ministeria pertinentibus, hinc prohibetur, ne Clerici Ecclesias sic disponant *supellectilibus propriis, & etiam alienis, ut potius domus laice, quam DEI basilica videantur*; non considerantes, quod Dominus non sinebat ut vas transferretur per templum, nisi propter hostiles incurfus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium: sic tamen, ut necessitate cessante res in loca pristina reportentur. Deinde, ne non solum Ecclesias dimittant incultas, verum etiam vasa ministerii, & vestimenta mini-

strorum, ac pallas Altaris, nec non ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horroni; *qua de causa precipimus quoque*, inquit ibid. Innocentius III. *ut Oratoria, vasa, corporalia, vestimenta prædicta, munda & nitida serventur; nimis enim videtur absurdum, in Sacris sordes negligere, quæ dedecent in prophanis*. In hac materia esse negligentem contra tam graviter præceptam observantiam in custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & sacri olei pro extrema unctione; in munditia sacrorum vasorum, & vestimentorum, quam absurdum, & alienum sit à Christiano homine, taceo Presbyterorum statu, nemo est, qui non videt; sunt, qui testantur, Curatum à ministrato viatico reducem, capsulam, quæ sacra adhuc particula continebantur, rejecisse in mensam sui Conclavis, omnibus patuli, relictam in longum tempus, paramenta Sacerdotalia (etiam ex optima materia) tam sordide projecta, & in plicas contorta, ut merito horreret honestus Clericus iisdem indui ad sacrificandum corporalia, & purificatoria tam nigra, mucida, & omni profus honestate destituta, ut sine scandalo etiam rudium spectari non possent, &c. &c. V. Quintanaduenas tr. 4. singularium Theol. moral. à singulari. 1.

QVÆSTIO XLV.

IN TITUL. XLV. DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

Hic titulus reperitur etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus; continet duas partes, ut patet ex Rubrica tituli. Quoniam vero de veneratione, & cultu sanctorum contra Sectarios, ex professio agitur in Theologia polemica, de Controversiis Fidei; ea solum hic exponemus, quæ per sacros canones *h. t.* præscribuntur.

ARTICULUS I.

De Veneratione Sanctorum.

3636 **A**nte resolutionem supponendum, quod inter *Sanctum*, & *Beatum*

notet Gavantus *tom. 2. ad Rub. Breviarii, Sect. 1. cap. 5. tit. 2. n. 12.* discrimen; quia *Sanctus* intelligitur canonizatus ab Ecclesia, cui publicus, & universalis conceditur cultus: *Beatus* ille, in cuius cultu quoad locum, tempus, & ritum, Sedes Apostolica limitatè procedit. Hinc licet omnis *Sanctus* sit *Beatus*; tamen econtra *Beatus*, dici nequit *Sanctus*, nisi improprie; sic Pereyra in Elucidario 2. elucidat. 2. sect. 2. n. 1404. ratio patet ex dato discrimine. Suppon. 2. *Sanctos*, præcedente hac vitæ, & miraculorum discussione, *beatificari*, & postea *canonizari*, inter *beatificationem* porro, & *canoniza-*

tionem

tionem discrimen est, quod *Beatorum* cultus fidelibus *permittatur*; canonizationem autem, *præcipiatur*, & propositio istorum ad fidei certitudinem spectet, non verò illorum: licet enim canonizationem Sanctorum non omnino ad fidem pertinere, & ideo errori subjectam esse, censuerint *Glossa V. Sedi Apostolica*, hoc *tit. in 6. Canus lib. 5. de locis Theolog. cap. 5. vers. Præterea in canoniz.* contrarium tamen verius est, videlicet, *in canonizatione Sanctorum*, Pontificem errare non posse; cum in canonizatione alicujus *Sancti* Pontifex sic loquatur: *Authoritate Domini nostri Jesu Christi, & B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, ac nostrâ N. caelestem Hierusalem fuisse receptum, & æternæ gloriæ coronâ donatum, de Fratrum nostrorum consilio, declaramus; eumque tanquam Sanctum publicè privatimque colendum esse, decernimus & definimus*; cum ergo talis definitio fiat *pro tota Ecclesia*, quæ tenetur Pontifici obedire, errori non est subjecta.

3637 Deinde, *canonizatio* nunquam licuit Episcopis; *beatificatio* verò primis Ecclesiæ sæculis ab illis fiebat. Cum enim canonizatio sit opus clavis scientiæ, & usus ejus supremus, utpote quo nova propositio, sub fidei violatæ periculo, ab universis fidelibus asserenda proponitur; decernere autem, quæ ad fidem orthodoxam spectant, solis D. Petri successoribus reservatum sit, tantam Pontifex potest sanctos canonizare: Episcopi autem olim, dum Martyres populo proponebant venerandos, inter *Beatos* recensebant eos; quandoquidem ovibus suis publicè colendos edebant, quos satis noverant, aut evidentiâ facti, aut constanti probatione, *verè pro Domino, & ejus fide occubuisse*: Sed, quamvis id olim licuerit Episcopis *in propriis diocæsis* quosdam venerationi exponendo; postea tamen ipsam etiam *Beatificationem* Pontifex sibi reservavit, & meritò; nam aliquando ob segnitiam aliquorum contigerat, fures pro beatis coli, ut refert Severus in vita S. Martini *cap. 8.* & constat ex *c. 1. h. t.*

3638 Casus porrò, de quo agit *c. Audivimus 1. h. t.* prout constat ex historia Baronii ad annum 1181. & refert Gonzalez ad dict. *c. 1. à n. 1.* est iste: Arnulphus, Lexoviensis Episcopus, Alexandro III.

retulit, ingentem dissolutionem Monachorum Cœnobii Christiani, qui inter alia impia scelera se mutuis vulneribus sæpe conflegebant, ac nihilominus, *miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis secularium personarum frequentes invicarent accessus*, sanitatis remedia per aquam, certis carminibus incantata, promittebant. Tandem retulit Lexoviensis Præsul, Procuratorem ipsius Monasterii *ebrium*, in refectorio super coenam, duos de fratribus cultello percussisse, eundemque ab eis in continenti periticâ, quam casus obtulit, occisum fuisse. Quidam tamen ad hæc rescripserit Alexander? non constat, licet extet prædicta epistola Episcopi Arnulphi, quo postea conjectatur Baronius, quòd, cum prædictus Procurator in ebrietate occisus, Martyris titulo impudenter ab illis Monachis miracula affectantibus coleretur, Alexandrum III. ne id fieret, rescripserit in præsentem textum.

Textus autem sic habet: *audivimus, quod quidam inter vos, diabolicè fraude decepti, hominem quendam in potatione, & ebrietate occisum (quasi sanctum) more infidelium venerantur, cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis orare permittat Ecclesia. (Dicit enim Apostolus, quòd ebrii si homines regnum DEI non possidebunt), hominem ergo illum de cætero colere non presumatis: cum; etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis pro Sancto, absque Authoritate Romana Ecclesie eum publicè venerari.*

Ex hac Alexandri epistola ad Monachos Christianos, deducitur 1. neminem, *tanquam Sanctum*, cultu publico posse honorari, nisi ab Apostolica Sede fuerit beatus declaratus, ceteri miracula fecerit, constat ex *c. 1. h. t. c. unico in 6. eod. Trid. Sess. 25. de reform. t. 2.* Nec obstat, quòd aliqui tribuunt D. Augustino dicenti, *multi in terris venerantur, qui in infernis cruciantur*, præterquam enim, quòd hic locus in Augustino non reperitur; textus intelligi potest, & debet, non de canonizatis, aut Beatificatis à Sede Apostolica; sed de his, qui falsâ hominum opinione celebrantur, ut constat ex textu *c. 1. de quo n. priori*, vel quos Sæctarii tanquam *Sanctos* colunt, in erroribus, hæresi, vel infidelitate defunctos, ac de-

ac demum etiam illis, quorum corpora in magnificis Mausoleis condita, honorantur, animâ illorum in inferno conscriptâ. Deducitur 2. rectè dici, quod Ecclesia pro his, qui in ebrietate sunt perempti, vix permittat orari, cum vix contingat eos in gratia decedere.

3640

Præter hæc not. in c. *Vnico h. 1. in 6.* præcipi, festa duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum, & quatuor Doctorum & Confessorum Ecclesiæ (scilicet Gregorii, Augustini, Ambrosii & Hieronymi) sub officio duplici solemniter celebrari. In Clementina *unica*, eod. Festum Corporis Christi, debere celebrari feriâ V. post Octavam Pentecostes, & certas indulgentias concedi eis, qui in Festo, vel intra Octavam, officio, vel horis interfuerint: demum in Extravag. 1. *inter omnes*: qui Conceptionem immaculatæ Virginis devotè celebraverint, in eodem Festo, & ejus Octavis officio interfuerint, eis tales indulgentias tribui, quales consequuntur Christi fideles in Corporis Christi festivitate, in Extravag. autem 2. idem Sixtus IV. statuit, quod excommunicationem ipso facto incurrant *Prædicatores*, afferentes *divam Virginem in peccato mortali fuisse conceptam*, aut qui dicunt, quod *Festum Conceptionis ejus celebrantes, graviter peccant*, & vult præsentem constitutionem in locis populosis publicari. De hoc V. Trid. Sess. 7. in Decreto de peccato originali, & plures Summorum Pontificum Constitutiones.

ARTICULUS II.

De Reliquiis Sanctorum.

3641

DE his agit c. 2. h. t. quod est desumptum ex CC. generali sub Innocentio III. ubi, cum ex eo, inquit, quod *quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ reliquie detractum sit sapius: ne in posterum detraharur*, præsentis Decreto statuimus, ut *antiquæ Reliquie à modo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales: inventas autem de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi prius autoritate Romani Pontificis fuerint approbata, Prælati vero non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias, causâ venerationis, accedunt, variis signis, aut falsis documentis decipi,*
Tom. III.

sicut in plerisque locis, occasione quaestus, fieri consuevit.

Ex hoc deducitur 1. Reliquias Sanctorum vendi non posse, cum sint res sacra, consequenter non recipiant æstimationem, ut temporali compensari possint, adeo, ut ipsarum venditio non possit excusari à Simonia, de quo agimus l. 5. tit. 3. posse tamen vendi, clausas aliqua thecâ, lignea, argentea, &c: sic tamen, ut solum ea materia, & labor pretio compensetur, quin titulo reliquiarum carius æstimetur de quo loc. cit.

Deducitur 2. esse distinctionem hic inter Reliquias *novas, & antiquas*, per *novas* intelliguntur hic omnes novæ, quæ scilicet de novo inventæ sunt, id, quod dupliciter fieri potest. 1. de Reliquiis alicujus Sancti jam aliàs ab Ecclesia canonizati, vel beatificati, noviter tamen, seu primò jam inventis cum instrumento authentico; 2. de Reliquiis alicujus nondum canonizati, vel beatificati, primum nunc & noviter inventis; hinc antiquæ censentur, Reliquiæ Sanctorum de quorum canonizatione, vel beatificatione jam aliàs constat, uti & hoc, quod reliquie illorum sint.

Deducitur 3. antiquas Sanctorum reliquias non esse populo exhibendas extra capsam, vel loculum, quo conditæ sunt, ne detur detractoribus occasio, malè sentiendi, vel loquendi, prout exponitur in textu relato supr. n. 3641. de quo V. Sanchez in Decalog. tom. 1. l. 2. c. 43. n. 21. Deducitur 4. dictas Reliquias non esse exponendas *quaestus causâ*, nam hoc continet intentionem avaritiæ, ac lucri temporalis cupiditatem in rebus sacris, & saperet Reliquias *exponi venales*.

Deducitur 5. non licere Reliquias de novo inventas *cultui publico* exponere prius, quàm à Summo Pontifice approbata sint, ut constat ex textu in n. 3641. quod tamen accipe de reliquiis noviter inventis, de quibus non habetur authenticum instrumentum, vel scriptura, quod sint antiquorum Sanctorum, jam ante ab Ecclesia canonizatorum, vel beatificatorum. Dixi *cultui publico*, privatus enim non interdicitur, sicut nec cultus privatus Reliquiarum de illis, qui quidem necdum ab Ecclesia canonizati, vel beatificati sunt, decesserunt tamen communi sensu, & opinione Sanctitatis, de quibus V. Sanchez

cit. Gloss. in c. Vnico h. t. in 6. V. Sedis Apostolica, & alii apud Barbof. in c. 2. h. t. n. 5.

3646 Quæstio est, quid hic intelligatur per *cultum publicum*? respondet Barbof. cit. cum Bellarmino, Turriano, D. Thoma, & aliis ibid. relatis, intelligi, *festum ejus celebrare, nomen ejus in Lytaniis* (quæ dum nomine Ecclesie; non autem privatim) *nominare, in Martyrologiis describere, in die obitus Ecclesia campanas pulsare, imaginem ejus cum radio depingere, in oratorio, sacristia vel alio loco publico affigere, ac venerari* &c. quo etiam pertinet decretum Urbani VIII. quod refertur à Barbofa in dict. c. 2. à n. 6.

3647 Quæstio altera est, an reliquias noviter inventas, approbatas ab Episcopo liceat cultui publico exponere? sermo est de illis, quæ sunt reliquæ Sanctorum jam alias ab Ecclesia canonizatorum, vel beatificatorum, si per scripturam authenticam constet, esse reliquias illorum, tamen si noviter inventæ sint? de his enim, ubi dubium est, communis negat, affirmativa videtur ob stare textus in dict. c. 2. ibi: *inventas autem de novo nullus publicè venerari præsumat, nisi prius Auctoritate Romani Pontificis fuerint approbate, cui tamen videtur opponi Trid. Sess. 25. de Regularibus in decreto de Invocatione, & reliquiis Sanctorum ibi: hac, ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus, nemini licere ulla in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet, exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, qui simulatque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis Viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit.*

3648 Ex hoc textu censuerunt aliqui, ut refert Barbofa in c. 2. h. t. n. 4. per istud Tridentini decretum, antiquatam esse dispositionem juris antiqui in dict. c. 2. in CC. Lateran. volentes posse Episcopum

examinare miracula hominis defuncti non canonizati, nec beatificati, & publicare, atque approbare absque Summi Pontificis auctoritate: alii ultrò consent, in textu Tridentini nec adversari, nec derogari dicto c. 2. & illum loqui solum de miraculis, & reliquiis, & imaginibus Sanctorum canonizatorum & beatificatorum, pro qua sententia citatur Philiartholus de offic. Sacerdot. tom. 1. p. 1. l. 3. c. 9. Azor p. 1. l. 9. c. 8. q. 8. Sanchez cit. c. 43. n. 10. & alii.

Ad hanc contrarietatem dissolven-
dam refert Barbofa cit. in c. 2. h. t. n. 4. consultum esse à se Congregationem, CC. Tridentini Interpretum, dubitatione sic propositâ Anno 1626. Decreto Concilii Sess. 25. de Invocatione, Veneratione, ac Reliquiis Sanctorum cavetur in hæc verba: *Nulla etiam admittenda esse nova miracula nisi eodem recognoscente, vel approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Consilium Theologis, & aliis piis Viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit; quæritur, an hæc Concilii dispositio, quæ videtur admodum universalis, intelligenda sit de Miraculis personæ etiam non canonizate, an verò de Miraculis Sanctorum canonizatorum duntaxat? & resolutum: de omnibus esse intelligendam.*

Sed circa hanc dubitationem advertendum, responsum Sacra Congregationis factam solum ad quæstionem propositam, quæ fuit de approbatione *Miraculorum*; non autem *Reliquiarum*; quo fit, vi datæ responsum non contradicere Concilii Lateranensis relato in c. 2. h. t. ac proinde illam hodie vigere in suo vigore, quo scilicet liceat Episcopis approbare *reliquias Sanctorum* jam ante canonizatorum, esto noviter re-
pertas, si annexam habeant scripturam authenticam, quæ testatur, *eam esse reliquias Sancti*, secus, si dubium sit? ut traduntur Authores n. 3648. relati.

☞ (o) ☞